



## The Holy See

---

**IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAEEX OMNIBUS**VENERABILI SERVO DEI ZEPHYRINO  
GIMÉNEZ MALLA

**CAELITUM TRIBUUNTUR BEATORUM HONORES** Ad perpetuam rei memoriam. – «Ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis stantes ante thronum et in conspectu Agni, amicti stolis albis, et palmae in manibus eorum» (*Apc* 7, 9) a Sancto Ioanne conspiciantur illos inter iam glorificatos qui magnam transierant per tribulationem. Dei Servi Zephyrini Giménez Malla in fastos beatorum perscriptio eandem illam S. Ioannis Evangelistae confirmat corroboratque visionem, cum ad populum is pertinuerit peculiarem, Cingarorum videlicet, varias disseminatum per nationes, qui haud est semper recte intellectus saepiusque immo despectus atque etiam iniuriis conflictatus. Hispanorum ipse filius Cingarorum Zephyrinus in oppidulo natus est Fragae intra fines dioecesis Oscensis, vicesimo sexto Augusti mensis die, anno millesimo octingentesimo sexagesimo primo, eodem quo est etiam die lustrica expiatus aqua. Scholas quamquam numquam obierat litterasque ideo prorsus ignoraverat, apud suam tamen familiam morum didicit probitatem altumque simul religionis sensum percepit, Ecclesiae interea preces ediscens atque teneram in Mariam Christi Matrem excolens pietatem. Semitas puer ille regionis Pyrenaeae percurrerebat montanas, cum suis contextas manibus venditabat sportulas. Adulescentulus etiamtum semel transiit in perpetuum ad urbem vulgo Barbastro dictam ubi ex Cingarorum consuetudine uxorem suae gentis duxit Teresiam Jiménez Castro. Quod quidem coniugium anno millesimo nongentesimo duodecimo canonicum composuit ad ius, deindeque ritus catholico in templo adiit atque factus est paulatim christianus vir aliis quoque in exemplum. Suos licet numquam generasset liberos, re tamen vera uxoris suae in filiae locum adoptavit neptim quam numquam uti propriam filiam non adamabat quamque alicui honestissimo Cingaro in matrimonium collocavit. Bestiarum deditus mercaturae, rem familiarem sibi potuit prosperam facere et sua in societate conspicuam, unde pauperibus suae praesertim gentis etiam subvenire valuit. Quin immo extremis vitae annis liberalitas ipsius in proximos ad egestatem eum redegit. Ab omnibus magni quidem aestimatus honestatis exemplar effulsit ac religiosae vere adfectionis. Pacis amantissimus et facultate praeditus, animorum inter se conciliandorum destinatus est saepius veluti arbiter qui dissensiones inter Cingaros incolasque loci exortas placaret. Omni ex parte integerrimus in animalibus emendis ac vendendis numquam is quemquam fefellit. Nihilo tamen minus ut bonus Christi discipulus per iniuriam est furti accusatus vinculisque duos menses inde detentus donec innocens est in iudicio probatus. Insignem prae se ferens fidei ac religiosae observantiae speciem, Eucharisticis cotidie intererat sacris, ubi Synaxim suscipiebat corollamque precatoriam Marialem persolvebat. Licet legere aut scribere numquam ipse didicisset, socius tamen in plures ascitus est sodalitates religiosas: Ferae Quintae Eucharisticae, Nocturnae Adorationis, Institutionum Sancti Vincentii de Paul. Sodalitatis praeterea fuit Tertii Ordinis Franciscalis. Catechismum parvulis tradere iuvabat magnopere eum, quibus nempe eventus ex Bibliis narrabat. Intestinum cum Hispanorum bellum saevire coepisset, altera in mensis Iulii parte anno MCMXXXVI sua in urbe Barbastro comprehensus est quod iuvenem defendisset fortiter sacerdotem quem per oppidi trahebant vias in carcerem indigne detrusuri. Eius in vestis sinu precatoriam reppererunt Marianam coronam quam

numquam apud se non custodiebat. Liberum illum fore promisit quidam maleficorum, si precari desiisset eandemque sibi tradidisset corollam. Maluit nihilo setius in carcere Zephyrinus persistere suoque etiam obviam procedere martyrio. Ita factum est ut altero mensis Augusti die anno MCMXXVI ante parietem coemeterii urbis Barbastri illum glandibus plumbeis interimerent, qui rosarium manu arcte tenens verbaque «vivat Rex Christus» proferens periit. Anno MCMXCIII ab episcopo Barbastri Beatificationis instituta est et incepta causa. Nostro autem in conspectu die decimo septimo Decembris mensis anno MCMXCVI prodiit super martyrio decretum, ubi ritus beatificationis constituimus ut Romae die quarto Maii mensis insequentis anni perageretur. Hodie igitur, sexto Paschatis dominico die, ritum tantopere quidem exspectatum et exoptatum licuit nobis plane laetantibus exsequi, quo quinque Dei Servis beatitudinis caelestis honorem ac liturgicum cultum concedere potuimus, etiam hic celebrato Zephyrino Giménez Malla, de quo sequentem protulimus magna voce animique consolatione sollemnem formulam: «Nos, vota Fratrum Nostrorum Ambrosii Echebarría Arroita, Episcopi Barbastrensis-Montisonensis, Victoris Aloisii Mondello, Archiepiscopi Rheginensis-Bovensis, Iulii Nicolini, Episcopi Cremonensis, et Iulii Henrici Prado Bolaños, Episcopi Pastopolitani, necnon plurimorum aliorum Fratrum in episcopatu multorumque christifidelium explentes, de Congregationis de Causis Sanctorum consulto, Auctoritate Nostra Apostolica facultatem facimus ut Venerabiles Servi Dei Florentinus Asensio Barroso, Zephyrinus Giménez Malla, Caietanus Catanoso, Henricus Rebuschini et Maria ab Incarnatione Rosal Beatorum nomine in posterum appellentur eorumque festum: Florentini Asensio Barroso die nona Augusti; Zephyrini Giménez Malla die quarta Maii; Caietani Catanoso die vicesima Septembris; Henrici Rebuschini die decima Maii; et Mariae ab Incarnatione Rosal die vicesima septima Octobris in locis et modis iure statutis quotannis celebrari possit. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Hisce quae Litteris sollemniter decrevimus fierique censuimus in posterum pariter valere volumus suamque plene exserere vim, quibuslibet causis haudquaquam obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Maii anno MCMXCVII, Pontificatus nostri undevicesimo.* ANGELUS card. SODANO

*Secretarius Status* © Copyright 1997 - Libreria Editrice Vaticana